



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptura, Et Vera Catholica  
Doctrina, Atque Observatione Vniuersalis Christianæ  
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

**Bucer, Martin**

**Genevae, 1613**

Quod ordinandi debeant doctrinam in libro Reformationis contentam  
confiteri, & in ea se permansuros spondere

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34315**

## Vicesima sexta Accusatio.

*De Ordinatione & Constitutione Pastorum.**Vtrum Ordinatio sit Sacramentum.**De Ordinibus.**De Ceremoniis circa Ordinationem.**Quod Ordinandi debeant doctrinam in Libro Reformationis contentam confiteri, & in ea se permansturos spondere.*

## CAP. CXV.



AEC Accusatio quatuor partibus continetur: quarum prima est. *Librū non numerare Ordinationē inter Sacramēta.*

Ad hoc supra responsum est in Articulo de Sacramētis in genere. Quod verò cōsecratio in eo sit, quādo quis ordinariē ad ministeriū instituitur, vt D. August. in eo loco quem Aduersarij citat, scribit: quodq; manū impositio, si ad imitationē exempli Apostolorū ad Ordinationē rectē adhibeatur, sanctū sit gratiē signū, atque idcirco non malè Sacramētū dici possit, sicut etiam D. August. appellat, contra hoc nihil dicit Liber Refor. nominat hoc opus Ordinationē ad ministeriū Ecclesiæ, sicut antiqui omnes id appellauere.

Hoc loco rursus animaduerte, Christiane Lector, quid sit de quo Aduersarij pugnant. De ordinaria Examinatione & probatione ordinandorum ad Ecclesiæ ministerium, vnā cum testimonio fidelis populi, eiusque erga tales voluntate, quę omnia S. Patres, vnā cum Spiritu S. tam seriō requirunt, nihil omnino curant, in quo & legem Dei, & omnes Canones manifestē transgrediuntur: nec tamen eius criminis rei esse volunt: interim pro nomine acerrimē decertant.

Altera pars est, Librū tantummodò mentionem facere de instituendis Pastoribus: Quasi in Ecclesia non sint alij ordines, quā Pastorū dūtaxat.

*Responso.*

**T**Ituli quidem apud Aduersarios quā plurimi sunt, at vbi apparent vera ac probata Ecclesiæ ministeria? In hunc finem compositus est Liber Refor. vt in eo cerni queat, in quibus rebus Christiana Reformatio apud plebem quā citissimē posse efficaciter institui: non quod propositum fuisset, singula Ecclesiæ ministeria & negocia ad viuum rescare, & exactissimē perscrutari. Alioquin constat, Antiquos isthęc ministeria tam in ordinatione, quā in opere distinxisse, munusque Episcopale pro primo ac supremo Ecclesiæ ministerio habuisse, cui præcipua animarum cura, & administratio ministerij Ecclesiastici in ea vrbe, in qua quilibet ad Episcopatum ordinatus erat, nec nō in iis Ecclesiis, quę in eius vrbis territorio erant, commendabatur, Consilio tamen & adiumento Presbyterorum, totiūque cleri præstanda.

Alterum ministerium fuit Presbyterorum, qui in verbi prædicatione, Sacramentorum administratione, exercitiōque disciplinæ Ecclesiæ Christi vnā cum Episcopo gubernare debebant, tam in vrbe, quā in territorio, & singuli in iis locis, qui peculiariter eis deputati erant.

Tertium

Tertium est Diaconorum, qui debent esse tanquam ministri Episcoporum & Presbyterorum, ad doctrinam, sacramenta, & disciplinam. His in principio Act. 6. hoc quoque negocij peculiariter datum erat, ut oblationes & dona, quæ fideles pro pauperibus, & ad sustentationem ministerij Ecclesiastici Domino offerebant & sanctificabant, acciperent, custodirent, & iuxta publicam & Domini & Ecclesiarum ordinationem, distribuerent, suæque dispensationis Episcopo, & Presbyteris rationem redderent.

Quartum erat Subdiaconorum, qui Diaconis in adiumentum adiuncti erant, & ad eadem propè ministeria ordinati, tamen sub Diaconis.

Quintum, Acoluthorum, quorum erat Episcopum & Presbyteros observare, eisque ad manum semper adesse. Religio enim veteribus erat, ut Episcopi & Presbyteri neminem circa se haberent, neque ad ministeria sua usurparent, nisi Clericos, qui se in peculiarem ac strenuam Ecclesiæ disciplinam traderent.

Sextum Lectorum, qui diuinas Scripturas populo in Ecclesia prælegebant. His postea adiuncti sunt Cantores, qui hymnis decantandis præerant.

Tot genera Ministeriorum inueniuntur apud Cyprianum.

Septimum, Ostiariorum, qui portas Templi, ad cultum Domini aperiebant, eoque finito rursus occludebant. Sic quando S. Cæna celebranda erat, ut pœnitentes, aliique, qui huic mysterio interesse non poterant, dimittebantur.

Inter cætera commenta, quæ D. Hieronymo perperam adscribuntur, vnum est, de septem gradibus Ecclesiæ, in quo neque Acoluthi, neque Exorcistæ numerantur.

Primus verò gradus & ministerium ponitur Fossariorum: quod sanè Aduersarij cum toto Clero suo ægerrimè in se recepturi essent.

Exorcistas habuit primitiua Ecclesia, sicut etiam alios miraculorum editores. Hi virtute Spiritus S. impuros Spiritus & Dæmonia ab hominibus expellebant. Eiusmodi consuetudinem veteres adhuc temporibus Augustini, cum Oratione & Exufflatione obseruarunt, ad significandum & confitendum, quod omnes homines à prima generatione sint sub potestate Diaboli, donec ab ea per Christum Dominum liberentur. Hoc ministerium in genere Clerici administrarunt, sicut in libro de Ecclesiasticis dogmatibus, qui D. Augustini nomine circumferuntur, cap. 31. commemoratur: nec inuenitur, certos quosdam & peculiare ministerios ad Exorcismum disputatos fuisse. Hoc tempore Sacerdotes, qui etiam baptizant, hoc munere funguntur.

S. Dionysius tres tantum ordines Ministerij Ecclesiastici enumerat: quorum primus est τῶ ἀρχόν, hoc est, summi Antistitis inter Sacerdotes. Alter τῶν ἐπιπέων, hoc est, Sacerdotum: tertius τῶν λειτουργῶν, Ministrorum, Et huic tertio assignat munus catechizandi, purgandi, & præparandi ad vitam æternam. Sacerdotibus & ministris in opere sancto, vltiorem doctrinam, & illuminationem tribuit. Præsuli verò summoque Antistiti publicum ac supremum

munus docendi, & dispensatione Sacramentorum, cum plenissima declaratione omnium mysteriorum Christi. Hunc auctorem non dubitant Aduersarij pro se citare, cum tamen eorum figmento penitus repugnet.

Ambrosius scribens in 4. cap. Epistolæ ad Fph. quem & ipsum Aduersarij citant, hos ordines tantum recenset, Episcopi, Presbyterorum, Diaconorum, Exorcistarum, Lectorum.

Verum summa reipositionis ad istam Accusationem hæc est. In libro Reform. operam dedimus, ut eorum in peculiariis mentio fiat, quæ ad huc finem vtilia & necessaria sunt, ut ministerium Ecclesiæ, & Cura animarum, iuxta verbum Dei, & necessitatem populi fidei nostræ commendati, passim in Ecclesiis restituantur, & restaurentur: non autem propositum fuit plenæ & absolutæ Reformationis omnium Ecclesiasticorum ministeriorum formam proponere. Hinc est quod in Libro de solo ministerio, Pastorum, & eorundem ordinatione mentio fit, non autem de omnibus ministeriis Ecclesiæ.

Sed utinam Aduersarij, & quicumque partes eorum tuentur, tanto opere iuuare vellent, quanto opere impediunt, ut omnia Ecclesiæ ministeria, quàm perfectissimè & optimè restituerentur, & in eum usum, in quo apud veteres fuerunt, reuocarentur: sanè nos nulli vel diligentia, vel labori parsuri essemus. Sed de inanibus tantum nominibus disceptant, de dignitatibus ac bonis ministeriorum Ecclesiasticorum: Non autem de ministeriis ipsis, eorum legitima constitutione & ordinatione.

Sat sciunt, totum Ecclesiæ ministerium eò dirigi, & efficaciter inferuire debere, ut populus Christi rectè doceatur, & in fide Christi ædificetur. At ipsi falsum suum Ecclesiæ ministerium ad infimum gradum Lectorum & Cantorum transtulerunt.

Vnde sequitur, omnes Sacerdotes & Diaconos sub ipsis constitutos, iuxta Canonem Concilij Romani, habiti sub D. Gregorio excommunicatos esse. Dist. xcij. In sancta. Sacerdotes enim prædicationi euangelij, Diaconi distribuendæ elemosynæ incumbere debent. Cantum vero inferioribus clericis demandare, quemadmodum Concilium istud, iuxta verbum Dei decreuit. Ipsorum autem ministeriorum omne nihil aliud est, quàm Canere & Legere, idque contra Scripturam, Apopulo enim non intelligitur, atque idcirco ad ædificationem eius non facit: deinde etiam multis figmentis, quæ nullo Scripturæ fundamento nituntur, omnia mixta sunt & deuastata.

In his omnibus hoc quoque notandum est: quoniam ordines & ministeria Ecclesiæ apud antiquos non eodem discriminabantur, & obseruabantur, sequitur distinctionem horum ministeriorum in Ecclesiis, non esse traditionem Apostolicam & necessariam, sed rem liberam, quam quælibet Ecclesia, prout vtilissimum fore agnoscit, ordinare potest: & propterea nulla Ecclesia est ad alteram alligata. Quâ libertate Aduersarij nimis licentiosè abusi sunt: in distinctione enim & constitutione ministeriorum Ecclesiæ, ne minimum quidem amplius obseruant

seruant eorum, quæ ab antiquis vtiliter constituta fuerunt. Imò quod in hoc negotio maximè necessarium est, penitus interdicerè passì sunt, Id verò est, vt tantum probatæ personæ ad Ecclesiæ ministerium recipiantur, cum consensu fidelis populi: item vt vnusquisque ministerium ac munus sibi deputatum fideliter administret, ad ædificationem fidei in Christum Dominum.

Tertia pars est, Librum præcipere, ne Suffraganeus vlla grauamina aut vota, quæ huic Libro aduersentur, ordinandis imponat: asseruntque non esse in potestate nostra, formam ordinationis antè annos plus mille in tota Ecclesia Christi vsitatam abrogare, & perimere.

Resp. Liber Reform. comprehendit in se summam vnice Christianæ doctrinæ, & pro vnica Christiana ceremoniarum administratione scribit: nempe quod omnes ita institui & vsurpari debeant, vt ad ædificationem fidei in Christum Dominum conducant. Quare si suffraganeus dum ordinat, eiusmodi vota imponere, vel ceremonias adhibere vellet, quæ huic doctrinæ aduersarentur, impiè sanè & non Christianè eum agere necessarium esset.

Postremò dicunt, totum Librum innumera noua in se complecti, quæ manifestè totius Ecclesiæ Catholicæ doctrinæ in multis & insignibus locis, ex diametro contrariantur, nec vllum habeant in scripturis fundamentum.

Verùm id contra propriam conscientiam dicunt, nec minima ex parte hæcenus, nec demonstrabunt deinceps in æternum. Omnes autem qui Euangelio Christi credunt, Librumque Reformationis penitus introspicere volent, deprehendent nihil aliud in eo contineri, quàm quod Christus Dominus ipse, fidelisque Apostoli eius docuerunt, & antiquæ Ecclesiæ semper fidelissimè obseruarunt.

Quod ad vnctionem pertinent, constat eam temporibus Dionysij ad Ordinationem Clericorum non fuisse adhibitam: is enim solius signi, impositionis manuum meminit, nullius autem vnctionis. Neque temporibus Chrysostomi in vsu, neque Augustini, sicut ex 4. Concilio Africano, quod illi ipsi adduxerunt, percipere licet. In eo. n. solius impositionis manum fit mentio, nec D. Hieronymus vllius alterius nisi meminit. Sermo de vnctione adscriptus D. Cypriano, non est eius, quod nec ipsi Aduersarij negant. Sed ponamus eam ab omnibus antiquis vsurpatam fuisse, non tamen ab Apostolis, ad hanc rem adhibita fuit, neque adhiberi præcepta. Quare oportet, vt consuetudinem, ac ceremoniam istam, relinquamus liberam, quam quilibet Episcopus liberè mutandi potestatem habeat.

Quod enim Aduersarij scribunt, non esse in nostra potestate positum, eiusmodi externas ceremonias, ad ædificationem fidei, mutare, id omni veritatis fundamento caret. In omnibus n. ordinationibus, ac ritibus Ecclesiasticis vnus Episcopus, tantumdem habet auctoritatis, quantum alter, vt supra declaratum est. Adhæc præceptum est cuiilibet Episcopo, vt omnes externas ceremonias ad ædificationem fidei instituat, exer-

ceant, vel etiam prætermittat: de quo Deus ab vnoquoque rationem postulaturus est, neque etiam potestatem habet vnus Episcopus, alterum propterea condemnandi, cum nullus super alterum sit, vt Cyprianus bene scripsit. Nulla n. potestas est in Ecclesia Dei, nisi ad ædificationem.

Porro quod Liber præcipit, ne vlla grauamina, aut vota, contra Scripturam ordinandis imponantur, cuiusmodi est Abiuratio legitimi Matrimonij, id cum Scriptura, quàm maximè consentit. Ea n. & Episcopos, & Clericos postulat, qui sint vnus vxoris mariti. Hic verò quæ ad cælibatum à Domino vocati non sunt, necesse est eiusmodi votum esse perniciosum laqueum, quemadmodum, proh dolor, longo hæctenus tempore nimis apertè per experientiam potuit, sed de hoc infra suo loco copiosius & exactius.

Quarta pars est, ab omnibus Ordinandis in hoc Libro exigì, vt fateantur doctrinam eius certissimè esse vnicam Catholicæ Ecclesiæ Dei doctrinam, similiter vt polliceantur in ea tanquam absque dubio Christiana manere, ipsam fideliter tueri, docere, & secundum eius ordinationem viuere. Cum totus Liber totius Ecclesiæ Christi doctrinæ in tam multis & insignibus locis ex Diametro contrarietur, nec vllum in scripturis habeat fundamentum. Vt omnis ordinandus ad ministerium Ecclesiæ, Christianam doctrinam prius profiteatur, & in eo fideliter se perseueraturum polliceatur, antiqua est & Apostolica constitutio, quod nec ipsos Aduersarios latet.

Iam verò indubitatum est, doctrinam Libri Reform. in S. scripturis firmissimè fundatam, & idcirco vnicam esse, certam, & indubitatam, Ecclesiarum Christi doctrinam. Aliter autem se rem habere, & minimè quidem hæctenus probarunt aduersarij, nec deinceps probabunt in sempiternum.

Hæctenus ad articulum de Ordinatione.

### Vicesima septima Accusatio.

*De Matrimonio.*

*Vtrum Coniugium sit Sacramentum.*

*Quatenus Coniugium debeat prædicari.*

*Vtrum secunda nuptia debeant in Christiana Ecclesia celebrari.*

*De Sponsalibus contractis inuitis ac nesciis parentibus.*

*De forma benedicendi nuptiis.*

#### CAP. CXVI.



Hæc accusatio continetur septem partibus, quarum prima est. Librum non recipere Matrimonium in numerum Sacramentorum, cum Paulus testatur, in verbis primi hominis, loquentis de Eua vxore sua, *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, propter hoc relinquet homo*